



1798.

*

1. Mar

or

m

2. *

Mar

95

re

H

3. *

Mar

B

25

4. *

Mar

R

de

am

re

5. *

Mar

29



1798,9.
DE
CRIMINE VIOLATI CARCERIS
DISSERTATIO

Q V A M

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

CAROLO AVGUSTO BREHM

IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE, SVPREMAE CVRIAEC PROVINCIALIS ATQVE
CONSISTORII ECCLESIASTICI SAXONICI ELECTORALIS ADVOCATO

A. D. VIII. NOVEMBRIS MDCCIIC

H. L. Q. C.

F V B L I C E D E F E N D E T

FERDINANDVS AVGUSTVS MEISNER

BVDISSA - LVSATVS

L I P S I A E
EX OFFICINA SAALBACHIA



DE

CRIMINE VIOLENTI CARRERIS

DISSERTATIO

5 A.M.

THOMAS THOMASONIUS OMNIAE FACULTATIS

ETATIS

CAROLO VAGASIO BREVI

LITERA VITRUVIA DECORATA. ET ULTIME CRIMINE PUNICANDA VIOLEN

COINCIDENS RECENTIUS SYNOCHI ET HODIE VIOLENTO

EX D. M. V. DE VENATIONE VULPIS

H. E. D. G. M. H.

M. A. T. C. E. D. I. S. S. O. T.

HERBIVANDUS VAGASIA MHSINER

E. T. C. E. T. A. C. S. E.

F. I. R. S. I. A. I.

E. K. O. P. I. O. M. A. S. A. V. I. C. H. O. M. A.

de Criminis violati carceris descriptio.
§. I.

Quae est locorum juris dicundi et exsequendi sanctitas, nullum temerariae inquisitionis conatum impunem habens, etiam ad ea transfertur summo jure, quae publicae reorum custodiae inserviunt. Huic vero non improbiori et reipublicae perniciose ratione illuditur, quam injusta reorum e vinculis emissione. Et haec quidem est, quae carceris violati crimen constituit, in quem censum suo modo venit ipsius incarceratedi euasio suo consilio suscepta. Effractorum carcerum nomen ^{a)} , quod alii magis placuit, mihi non satisfacit propterea, quod conjunctam habet notionem violentiae, huic delicto non ita propriam, ut absque ea esse non possit. Ipsa quidem carceris appellatio latius patet, quippe omnem detentionem publicam personae comprehendens, cui, siue poenae siue simplicis custodiae causa, etiam ob debitum civile auctoritate judicis libertatis vsu interdictum est. Haec vero judicis auctoritas sufficit ad iustitiam

A 2 carceris

a) Quam vulgo Antonio Matthaeo seniori adscribunt dissertationem de carcerum effractoribus, secundum Lipenium Bibl. Iurid. Tom. I. p. 187. V. *Carcer*, insertam eius Collegio Institutionum, quod prodidit Herborniae 1604. in hoc libro frustra quaesivi. Quamobrem plene subscribe judicio Io. Fr. Iugleri

4

carceris vindicandam talem, qualis ad violati carceris crimen praesupponitur. Ipsius custodiae causa, vtrum sit legitima, an secus, circa essentiam hujus delicti nil mutat, cum haec cognitio non sit res priuati arbitrii. Neque magis releuat propter eandem rationem competentia judicialis forte in discrimen veniens. Praeterea necquidquam differentiae inducit loci qualitas, in quo carcer constitutus est, siue is publicus sit, siue priuatus; omnis enim detentio rei, quotiescumque judicis auctoritate ordinata, numquam non publico jure censenda est^{b)}.

Etsi vero nonnullis visa fuit, inuasi regalis juris adgratiani obtentu, ad laesae maiestatis principalis delicta facinorosorum emissio e vinculis referenda ^{c)}, ab his tamen consulo divisor, cum mihi infixum haereat animo, ne principis quidem injuriam absque animo laedendi statuendam esse, qui huic delicto in se spectato haud ineft ^{d)}. Neque enim, qui aliquem e vinculis eripuit, hoc ideo fecisse dicendus est, vt ipsi poenae gratiam faceret et iura principis usurparet, potius omne auctoris consilium, quod in vniuersa delictorum aestimatione respici oportet, in hujusmodi criminis ausu regitur aut sceleris societate, aut lucri cupiditate, aut sensu misericordiae. Id vero non impedit, quominus in numero eorum delictorum, quibus respublica immediate laeditur, ponenda sit carceris violatio.

Sive

b) *Ernst Ferd. Klein Grundsätze des gemeinen Deutschen und Preussischen Peinlichen Rechts*, Halle 1796.

§. 519.

c) *Io. Christ. Kochius Instit. Iur. Crim.* §. 576.

d) Simili argumentatione vñus

est ad proscribendum maiestatis laesae commentum in crimen falsae monetae CHRIST. GOTTL. GME LIN in den Grundsätzen der Gesetzgebung über Verbrechen und Strafen. Tübingen 1785. §. 121.

Sive enim species illusionem auctoritatis judicialis fraudemque disciplinae publicae factam, a tali nefario conatu nunquam alienam, sive periculi in integrum ciuitatem exinde resultantis amplitudinem, cunctis singulisque extimescendam, semper in promptu est ratio, quae suadeat huic delicto locum adsignare inter ea, quae jure nostro pro publicis reputantur^{e)}.

§. 2.

Variae hujus delicti species.

Iudicium de carcere violato magnopere variat tum pro auctorum delicti conditione dissimili, tum pro modi, quo fuit in effectum deductum, diuersa ratione. Auctor delicti est aut carceris custos, aut extraneus, aut ipse incarceratus, qui omnes etiam conjuncionem ad ejus consummationem possunt concurrere. Custodem vero non alium intelligo, quam praepositum carceris auctoritate publica constitutum eundemque juratum, exclusis tam domesticis ejus aliisque, quos ad opem in officii administratione ferendam ipse suo marte sibi adsociauit, quam extraneis, qui extra ordinem ad custodiam eorum, qui in virtutibus publicis sunt, euocantur. Eodem tamen jure cum ipso carcerum praeposito censendi sunt ejus vicarii atque officiales a magistratu ipsi adjuncti aut subordinati, modo et hi jurejurando obstricti fuerint; Idem etiam de rusticis in pagis nobilium, quotiescumque ad excubias tales vasallagio obligentur domino jurisdictionali, statuere nullus dubito.

A 3 Si

e) Ge. Iac. Fr. Meisterus Princip. der Criminal Rechts-Wissenschaft.
Iur. Crim. §. 355. Klein a. a. O. Gießen. 1798. §. 477.
§. 519. Carl Grolmann-Grundsätze

Si fuga incarcernati custodi imputatur, corpus delicti spectat ad officii violationem dolosam vel culposam, qua hoc effectum est, ut reus euadendi occasionem nanciseretur. In quo genere animaduertendum, quod, si modus evasione non apparet, dolus custodis praesumendus sit, donec probatione contrarii elidatur^{a)}. Si autem semel de modo constiterit, tali scilicet, in quo nulla violentiae evasione vestigia in oculos incurruunt, itidem praeualeat culpae praesumtio, salua exceptione casus fortuiti. Quibus vero hoc singulare, aut nimis durum videbitur, ii meminerint, id commune esse omnium delictorum, quae circa officii violationem tam versantur, vbi tam committendo quam omittendo dolose delinquendi occasio est. Praeterea in custode carceris tam ob ipsam muneris suscepti indolem, quam ob jurejurandi vinculum exactissima fides requiritur, quae ratio est, ut ipsis merito imputetur culpa levissima. Ipse dolus vel sine spe lucri esse potest neque adeo collusionem cum aufugiente est quod desideres, ut perfidus reatus eludendi disciplinam publicam evincatur^{b)}. In extraneo vero tale facinus sine dolo esse non potest, quem neque deficiens lucrum neque persuasio innocentiae neque misericordiae studium destruit. Siue autem de extraneo effractore, siue de ipso reo quaeratur, qui abjectis vinculis excessit, modus potissimum, quo liberatio in effectum deducta, spectandus, vis an interuenienter omittendus sit, et si datur, ob causam mobili ratione, etiam in effectu haec supradicta

a) Farinaceus in Praxi Crim. Lib. I. tit. 4. qu. 31. n. 20. ibique laudati. Struvius Vs. modern. Pand. Tit. de Custod. et Exhib. reor. §. 14. Doeplerus Theatr. pen. et supplic.

Lib. I. cap. 5. §. 26. Io. Sam. Fr. Boehmerus ad C. C. C. Art. 180. §. 3.

b) Boehmerus ad C. C. C. Art. 180. §. 1.

nerit vel secus, praeterea de inde et gradu violentiae follicite cognoscendum. In quibus omnibus magna deprehenditur iurium diuersitas. Sed de singulis secundum ordinem legislatio-
nis Romanae et Germanicae sigillatim videamus, deinde vsum
nostrorum temporum expendamus.

§. 3.

Rigor Iuris Romani in violatores carcerum

Etsi effractio carceris apud Romanos inter extraordinaria
crimina fuit ^{a)}, seuere tamen in autores animaduersum esse
ipsae legum sanctiones produnt. Primum, quod ad ipsos car-
cerum praepositos eorumque adjutores adtinet, fugam facino-
rosis indulgentes, clara est Imp. Valentianii, Valentis et Gra-
tiani dispositio, qua ipsos hujusmodi poena consumi volunt,
cui obnoxius docebitur fuisse, qui fugit ^{b)}. Quae supplicii
identitas, talio vulgo dicta ^{c)}, legislationi Romanorum crimi-
nali admodum familiaris, in primis vero in Receptatores, quod
genus delinquentium propter eandem disciplinae publicae illu-
sionem carcerum violatoribus perquam adfne est, statuta ^{d)},

vtrumne

a) I. I. D. de Effract.

b) I. 4. C. de Culted. reor.

c) De talionis poena celebris est
disputatio Favorini philosophi apud
Gellium Noet. Att. Lib. XX. cap. I.
Nemo autem de hoc Pythagorico
iure praestantius meditata dedit
Henrico Cocceio, cuius *de sacro san-
cto talionis iure* dissertatio est in eius
Exercitatt. curios. Vol. II. n. 37. in-
serita quoque ex parte illius Com-
ment. ad Grotium de I. B. et P. Lib.
II. cap. 20.

d) I. I. D. de Receptat. I. I. C.
de his qui latron. recip. Ios. Ludov.
Ernest. Püttmann de Receptatoribus.
In Aduersar. Lib. II. p. 250.

vtrumne ad casum doli et perfidae cum reo collusionis sit restringenda, an vero etiam ad culpam proferenda? dubitatur. Etsi autem nonnullis verba generalia dispositionis certo indicio fuerunt extensa animaduersonis hujus vel ad ipsum negligentiae crimen ^{a)}, mihi tamen magis probabile est, extra reatum talionem Romanos haud statuisse, quod tam ex ipsius poenae atrocitate, quoduis capitale supplicium comprehendentis, culposis delictis haud consentaneum, quam ex eo, quod alia talionis exempla semper ad dolosa, nunquam ad culposa delicta pertinuerint, non obscure intelligitur. Potius extraordinariam poenam remotionis vel degradationis in militibus, aut aliam arbitrariam, ob culpam grauiorem vel leuiorem modo duriorrem, modo remissiorem, legibus sanctitatem videmus ^{b)}. Non minus ambigitur, an etiam ad extraneos carceres violantes transferendus fuerit talionis vñs? Quod deficiente expressa legis dispositione vix adfirmauerim, sed hos manebant effractorum poenae ex lege Iulia de vi publica acerbiores in nocturnos, quam in diurnos statuenda ^{c)}. Vnum in hoc genere deprehendimus talionis exemplum latissime patens, hoc, quod poterat lege Iulia Majestatis accusari, qui confessum in judicio reum et propter hoc in vincula conjectum emisisset ^{d)}. Quae legis dispositio hanc vim non habet, vt quaevis carcerum effractio, nulla ratione habita ejus delicti, quo injuste liberatus se inquinauerit,

^{a)} Sam; Strykius Vs. mod. Dig. Tit. de Effraet. §. 4. Fr. Boehmerius Medit. ad C. G. C. Art. 180. §. 1.

^{b)} l. 8. 12. D. de Custod. et Exhib. Reor.

^{c)} l. 2. D. de Effraet. Iac. Rævardi Conjectan. Lib. I. cap. 4.

^{d)} l. 4. D. ad Leg. Iul. Majest.

nauerit, ad principia de majestate principis laesa reuocanda fuisset, sed restringenda est ad dimissionem eorum, qui ipsi perduellionis aut majestatis laesae rei ejusdemque criminis confessi in vinculis tenerenturⁱ⁾. Quod ut statuamus legis ratio praecepit neque omnino opus est emendatione Dionyssi Gothofredi^{k)}, dura nimis et codicum fide destituta, qui, ut contrariae interpretationi occurreret, interpolata voce: *hoc, ante: judicium, ita legendum esse censet: qui confessum in hoc judicio reum et propter hoc in vincula conjectum emiserit.* Media via incedit Matthaeus^{l)}, liberationem rei alius delicti e vinculis, extra casum perduellionis, tunc, quum ejus conditionis atque potentiae sit delinquens, ut emissus confessim futurus sit periculosis hostiis rei publicae, ad primum, si vero vilis sit atque infirmus, a quo nihil publice sit metuendum periculi, ad secundum caput legis Iuliae reuocans. An recte rationes subdixerit, viderint alii. Nae ille vir summus ambitum legis Iuliae nimium dilatauerit, mea quidem sententia, adstruens, omni-quauis carcerum inuasione principis majestatei violari!

In vniuersum autem, cum talionis poenae ratio potissimum in eo posita videatur, quod is, qui criminis reum promeritae poenae subtrahit, factum tacite adprobasse eamque ob causam in eodem reatu esse censendus sit, sequitur, eam ante probationem delicti principalis plane absolutam sententiamque

desuper

i) Io. van Beuker diss. de Criminis Majestatis. Franeker 1729. Sect. cap. 3. §. 5. In Oelrichs Thes. nov. diss. Belgic. Vol. II. Tom. I. p. 116. seq.

k) Dionysius Gothofredus in Not. ad cit. l. 4. D. ad Leg. Iul. Majest.

l) Ant. Matthaeus in Comment. ad LL. Dig. de Crimin. Tit. de laesa Majestate. Cap. II. §. 21.

B

desuper pronunciatam decerni non potuisse, quod eo magis mihi persuasum est, quo liquet evidentius, antequam certi quid statui potuerit de poena aufugientis, inane fuisse talionis judicium super eo ferendum, cuius temeritate naelus esset libertatem. Utique enim talio certitudinem supponit illius, cuius talio dicitur. Neque in contrariam rationem quidquam facit inscriptionis vinculum, quippe quod solum accusatorem strin-gens ad extraneos proferri non debet.

Sed nec ipsi incarceratedi vincula rumpentes et custodias judiciali se subtrahentes impunes habebantur jure Latiali. Et hi quidem seuerioribus poenis coereeri jubentur, sive, ut legi verbo vtar, amplius in eos constitendum est, quam causa ex qua recepti sunt, exposcit; adeo, ut quamvis innocentes inveniantur ex eo criminis, propter quod impaciti sunt in carcere, tamen puniendi sint, definiente Callistrato^{m)}. At qua poena? Certe non ejus criminis, propter quod carceri inclusi erant, ut perperam fert glossa, obstante absolitione, sed extraordinaria. Magis controversum est, quid de sōntium supplicio sit statuendum. Sunt qui inter carcerem principis atque inferiorum magistratum distinguantⁿ⁾; Alii mortis poenam abscisse defendant, quorum antesignani sunt Iacobus Curtius^{o)}

et

m) 1. 13. de Custod. et Exhib.

Reor.

*n) Hahnus ad Wesenbecium.
Lib. 47. tit. 18. Aliorum varias
sententias exhibet Sami Strykius in
diff. de Carcerē ad custodiā. Frf.
1667. Cap. V. n. 2. In Diff. Vol.
I. n. 4. 18. & 19. qd. ordinesq. n.*

*o) Jac. Curtius Conieatur. Jur.
Ciu. Lib. I. cap. 8. Hunc sequuti
sunt Schilterus Prax. Jur. Rom. Ex-
ercitatus. 49. §. 43. et I. H. Boehme-
rus in Digest. Tit. de Effraet. et Ex.
pilat. §. 3.*

et Antonius Matthaeus ^{v)} Vlpiani verbis innisi, qui capite eos puniri jubet ^{q)}. Sed male. Etsi enim capitibus voce passim mors naturalis designatur ^{r)}, aequo tamen capitalis poena et interire in jure dicitur de vitae ciuilis ademtione ^{s)}. Quamobrem summi rigoris ratione exulante benignior interpretatio sequenda vixque alia poena intelligenda, quam ea, qua ciuitatis jura amittuntur, deportatio scilicet aut metalla; Ultimum vero supplicium non aliter admittendum, quam principali delicto id efflagitante, aut concurrente facinore ejusmodi, quod in se spectatum mortis poena expiari velint leges. Ita Voetius ^{t)} cum quo conspirat Farinaceus ^{u)}. Iis vero, qui duritiem capitalis supplicii, quatenus illud morte naturali absoluatur, loci murorumque sanctitate fatis compensari putarunt, ipse jam fatis fecit Matthaeus ^{v)}. Quod autem a milite desertore ad suam sententiam firmandam argumentum depromit idem, suo artificio concidit; Nam etsi desertionis poena fuit ultimum supplicium ^{w)}, desertore tamen militiae a milite custodiae refuga expressè destinato ^{x)}, conclusio vacillat ducta ad aequalitatem supplicii. Hoc exploratum est, omnem majorem legis severitatem,

B 2

quae

p) Ant. Matthaeus Comment. ad LL. Dig. de Crimin. Tit. de Career. Effract. §. 1.

q) I. I. pr. D. Effract. et Expl. lat.

r) I. II. §. 3. D. de Poen. I. 3. in f. ad leg. Cornel. de Sicar. I. 7. §. 1. ad Leg. Iul. Repet. I. 4. §. 2. de Re Milit. I. 5. C. eod.

s) §. 2. I. de Publ. Iudic. I. 103. D. de V. S. I. 28. D. de Poen. I. 63. §. vlt. D. Pro Soc.

t) Io. Voetius Comment. ad Pand. Tit. de Effract. §. 9.

u) Farinaceus Criminal. Tit. de Career. qu. 30.

v) Matthaeus c. 1.

w) I. 5. §. 3. 4. D. de Re Milit.

x) I. 13. §. pen. D. de Re Milit.

quae capitali poenae locum relinquunt, ad solam evasione violentam mediante effractione vinculorum et carceris aut interueniente armorum vsu pertinuisse, cum ipsa lex lenius tractari jubeat eos, qui per solam negligentiam custodum absque omni impetu violento libertatem consequuti essent^{y)}. Quod ipsum certissimo argumento est, omnem hujus sanctionis rationem in loci publici violatione et turbatione securitatis publicae positam esse. Aliud enim est, probe animaduertente Raeuardo^{z)} elabi apertis, aliud item de carcere effractis foribus erumpere. Et quidem in eo faciliorem se praebet ipse Matthaeus, quod, quamvis per poenam capitum ultimum supplicium intelligi contenterit, non tamen id ita accipi velit, tanquam judex semper effractoribus poenam mortis infligere deberet, 'nunquam mitiorem, sed rationem habendam esse majoris periculi, quod ex armorum vsu, criminis commissi atrocitate et personae qualitate resultat, vt quo quis effregerit flagitosior, eo etiam grauior poena statuenda ad capitum supplicium usque.

Singularis coercendi ratio fuit resugaram ex custodiis in opere publico, vbi id temporis poenae nomine duplicandum erat, quod ipsis, cum fugerent, superesset. Damnatione autem in decennium facta, condemnato initio statim fugam capiente, aut perpetuanda poena, aut in opus metalli transferenda; non enim quoties decennium excessura esset duplicatio, poenam tempore coarctari leges volunt^{a)}. Aufugientes vero ex opere metalli in metalla dabantur^{bb)}, ex his demum egressi in libertatem

y) l. 1. pr. D. de Effract. et Ex-pilat. l. 38. §. pen. D. de Poen.

z) Iac. Rayardi Coniestan. c. 1.

aa) l. 8. §. 7. D. de Poen.

bb) l. 8. §. 6. D. de Poen.

tem ultimo suppicio adficiebantur^{cc)}. Atque in eo, non vero in status, vt communiter obtenditur, mutatione, quae posterior magis a perpetuitate supplicii pendebat, genuina differentia inter utrumque poenae genus, quod metallorum nomine continetur, posita est, scilicet, vt refugae operis non morti, sed poenae metalli subiecti fuerint^{dd)}, quod hanc vim habuit, vt iisdem quidem laboribus adstricti, ob suspicionem fugae arctioribus vinculis comprimerentur^{ee)}.

§. 4.

Sanctio Juris Carolini.

Caroli cura in hoc genere delicti vnic versatur circa violationem officii a custode admisam, cuius dolo vel culpa reus in vincula conjectus excessit^{a)}; Extranei effractoris et ipsius incarcerati vincula rumpentis coercionem non suggerit Imperator. Quod posterior, et si nullatenus argumento est impunitatis, tamen applicationem hujus legis ultra casum disertis verbis expressum non admittit. In custode autem huius delicti reo nemesis Carolina distinguit, utrum ejus fraude atque dolo, an vero per incuriam et negligentiam occasio evadendi reo fuerit subministrata. Priori in casu carcerarius auctor fugae ei poenae generi, quod reus, si non effugisset, sustineret, se subjacere norit, posteriori extraordinaria poena praestituta est, pro ratione eorum quae circumstant, adhibito prudentum consilio,

B 3

de-

cc) I. 28. §. 14. D. de Poen.

ee) I. 8. §. 6. D. de Poen.

dd) I. 5. §. fin. D. de Extraord.

aa) C. C. C. Art. 180.

Cognit.

definienda. Plane eadem habet Ordinatio Bambergensis^{b)}. E hoc quidem in aprico est, illam de talionis suppicio a facinorosis sumendo sanctionem ex jure Romano^{c)} interpolatam esse a constitutionis criminalis architectis, cuius usum jam ante in foro Germaniae migraſſe colligere licet ex loco Iuris Prouincialis Sueuici^{d)} eandem duritatem spirante. In eo tamen mitior est nemesis Carolina, quod eos tantum custodes, qui scientes dolo malo custodiae suae demandatos elabi passi sunt, hac poena adſici jubet, cum inter dolum et culpam vix distinguere videatur Ius Sueicum. Hanc dispositionem Caroli satis claram aequitatis obtenu cuertere conatus est eminentis in foro auſtoritatis Carpzouius^{e)}, talionis usum ad effractionem a commentariensi violenter ſuceptam reſtringens, quem neque in hoc genere agmen doctorum practicorum deseruit^{f)}. Sed haec interpretatio manifeſte erronea eſt. Quidquid enim ille de custodis violentia ſomniat, re accuratiſ perspecta, non minus a lege, quam a ſana ratione recedit. Si quidem carceris custos, quoties officii immemor adjuuare cupit reos fugam meditantes,

nulla

b) Ordinat. Crim. Bambergens.
Art. 206.

c) l. 4. C. de Custod. Reor.

d) Ius Prou. Sueu. cap. 120.
Verba haec sunt: *Wer ſich der ge-
fangnen Leute unterwindet, daß er
ihr büten soll und büten will und
entrinnen ſie ihm, er ſoll ſie wieder
ſuchen und haben, ob er mag und
mag er ihr nicht wieder antworten,
er ſoll allen den Schaden und alle die*

Bußs leiden, die jener leiden ſollt,
der ihm entronnen iſt.

e) Bened. Carpzouius Prax. rer.
criminal. qu. III. n. 107.

f) Clafen, Ludouici, Blumla-
cher ad Art. 180. C. C. C. Ge. Ad.
Struuius Syntagm. Iur. Ciui. Exer-
citat. 49. §. 14. Lüd. Menckenius
Syst. Iur. Ciui. secund. Pand. Tit.
de Ellract. §. 4.

nulla ad id efficiendum violentia opus habet, sed medianibus clauibus carceris et vinculorum sibi concreditis facillimo negotio absque omni strepitu violento iis subuenire potest. Quare huic Carpzouianae conjecturae merito dicam scripserunt melioris notae interpretes Kressius^{g)} atque Boehmerus^{h)}. Ipsum verbum: *aushilft*, quod antiquissimorum unus interpretum Carolinae, Georgius Remusⁱ⁾ de clandestina dimissione rei recte intelligit, a Carpzouio ejusque aseclis male detortum, qualem cunque opem et vel ipsam omissionem vigilantiae dolosam indigitat, adeo, ut de violenta carceris effractione, quippe in casu praesenti vix vnquam exstituta, ne cogitauerit quidem legislator. Adde, quod in hac faciliori delicti executione, quae alia majora, interdum ipsis auctoribus periculosa, molimina excludit et notionem proditae fidei conjunctam habet, principalis ratio severioris coercionis querenda sit, quam contraria interpretatio menti legislatoris penitus obuersans excludit.

Dom Ipsam vero quam jubet Imperator supplicii similitudinem in custodem dolosum statuendam tam capitalem quam non capitalem poenam comprehendere ob clara verba: *peinliche Strafe*, vix est quod multis euincam contra nonnullos poenam capitalem abscisse comminiscentes^{k)}. Grauior dubitatio emergit custodis personam concernens, in quo vtrum iurata fides praeceps requiratur, an simplex custodiae receptio, admissa perfida collusione ad poenam ordinariam sufficiat, anceps quaestio est.

Ratio-

g) Io. Paul Kress Comment. ad menses Carolinae Art. 180.

C. C. C. Art. 180. §. I.

h) Boehmerus c. I. §. I.

i) Ge. Remus in Paraphraſi Ne-

k) Remus c. I. Stephani, Cla-

fen C. C. C. cit Art.

Rationem prorsus eandem esse, siue rei custodia demandata fuerit officiali jurato siue extraneo, tam propter verba legis generalia, quam propter aequale salutis publicae discrimen, Boehmerus quidem perhibet ¹⁾. Verum haec ratiocinatio meum ad sensum non habet. Praeterquam enim, quod in omni officii violatione haud parum releuat, fides jurato data nec ne, firmiter mihi persuasum est verbis legis: *ein Hüter der peinlichen Gefängniss*, ordinarii carcerum praepositum indicari, ministerium judicij criminalis jurejurando nunquam non obstringendum, quae denominatio non trahenda est ad speculatoros extraordinarios. Potius in hos, exclusa poena talionis, semper extra ordinem animaduertendum.

In ipsa poena talionis definienda hic modus seruandus est ut delictum aufugienris normam poenae suppeditans non in abstracto, sed in concreto consideretur, qui sensus est verborum legis: *anstatt des Uebelhäters*. Idque eam vim habet, quod non poena delicti illi imputati talis, qualem jus in thesi monstrat, locum habere possit in custode, sed ea demum, ad quam subiectum aufugiens cognitione absoluta reapse condemnatus fuit ^{m)}. Condemnatione nondum facta omnis talio exultat, et in coercitione extraordinaria subsistendum est, cuius modus regitur potissimum suspicionum grauitate.

§. 5

1) Boehmerus c. l. §. 1.

m) Boehmerus c. l. §. 2.

*Poena custodum ob carceris violationem dolosam ex usu fori
in Germania.*

Talionis jus, quantumvis sacrosanctum, an unquam in iustis rerum argumentis obtinuerit, dubitatur. Certe in hoc delicti genere applicatio poenae legalis grauissimis difficultatibus premitur, si vel antequam se fugae dedisset reus, inquisitione ad finem perducta, pronunciata fuerit sententia. Cum enim nulla vis sit rei judicatae in causis criminalibus, qualis est in civilibus, potius condemnato ad ipsam usque executionem poenae saluum, nouis defensionis momentis emergentibus aut absoltoriis aut mitiorem saltum impetrare sententiam, certitudo imminentis supplicii nulla, quam infringere non valeat superueniens principis gratia, quid de similitudine supplicii ejus, cuius executio per fugam condemnati frustrata est, in foro statui queat, sponte intelligitur. Quae cum accuratius mente mea perpendo, videtur mihi non tam ipsius legis talionis atrocitas, quam potius hoc, quod justus retributionis modus indagari plane non possit, talioni in effectum deducendae maximo impedimento fuisse. Hinc est, quod interpres juris criminalis tantum non omnes usum ejus plane negant, aut certe tot limitibus circumscribunt, ut hujusmodi exemplum nunquam existere possit, omnem coercionem custodum fidem frangentium ad arbitrium judicis reuocantes, quem ultra fustigationem procedere non patiuntur ^{a)}. Nec exemplis ultimi supplicii

^{a)} Carpzouius c. l. Doeplerus Sam. Stryckius Vs. Mod. Pand. Tit. Theatr. Poen. P. I. cap. 5. §. 22.

supplicii custodibus dolosis irrogati, quae Leyserus^{b)}, acerri-
mus ille talionis propugnator, refert, hoc efficitur, mea qui-
dem sententia, ut vñus forensis hujus supplicii euincatur, cum,
recte animaduertente Kochio^{c)} alterum e foro militari sit repe-
titum, alterum ad perduellem emissum pertineat vtrique igitur
specie in se consideratae poena capitalis accommodata neque
adeo opus sit eam ex lege talionis repetere. Ipsius quidem
feralis poenae justitiam praeter illam perduellionis societatem
tunc non inficior, quum aufugiens aliud delictum capitale, in-
cendium, homicidium, rapinam meditans, consci cunctis custodis
dolo libertate impetrata, actu reali fuerat exequutus^{d)}; Sed
ne in hac quidem causa talionem agnosco, cum durities poe-
nae magis pertineat ad coercionem facinoris post fugam per-
petrati, cuius intuitu custos dolosus pro socio principali reput-
andus est.

Quo vero magis reddatur fori vñus legum rationibus con-
formis, laborandum est, vt modus arbitriae coercionis que
hodie fere vbiique poena ergastuli aut operarum publicarum in
plures annos absoluitur, repraesentet legalis poenae imaginem,
quod efficietur sollicita ad accommodatione poenae custodis ad
supplicium aufugientis probabilitate promeritum, duriore illa
vel reinissiore, tum pro atrocitate delicti ab injuste liberato
commisso, tum pro fugae euentu reipublicae inprimis calamito-
so, malorumque ab improbo olim moliendorum funesto augu-
rio.

^{a)}ian. Decis. Vol. 4. Obs. 71. Boeh-
merus c. l. §. 2. Quistorp c. l. §.

192.

^{b)} Leyserus Spec. 564. Med. 7.

^{c)} Kochius c. l. §. 616.

^{d)} Boehmerus c. l. §. 2. Kref-
fius c. l. §. 1. *Quistorp in den Grund-
zärtzen des P. R. Tb. 1. §. 192.*

rio. Omnino enim in hoc genere etiam exposito praeteriti delicti crescit aestimatio.

§. 6.

Quomodo culposa dimissio vindicanda.

In culpa custodis aestimanda praeter ipsum culpae gradum, quatenus in facto positus est, sollicite expendendum, itidem respiciendum est ad personam aufugientis, causam incarcerationis et indiciorum pondus. Quo enim majoribus hic premitur suspicionibus, quo acerbior poena imminet, quo magis denique de robore, versutia, audacia et pessimis ejus moribus constat, inprimis si effractionem iteratis vicibus tentauerit, eo majore circumspectione opus eoque minorem veniam mereatur quaevis custodis oscitania, euasioni astutae vel violentiae causam praebens. Et quidem, si plures sunt custodes, vnum de alterius culpa teneri, extra omnem dubitationis aleam positum est, nisi custodia sit diuisa, vel ratione loci, vel temporis, vel personae. Praeter casus latioris desidiae adquiescendum est in poena carceris trium, quatuor, vel sex hebdomadum ^{a)}, cui pro cause qualitate remotio ab officio accedit; Ob insignorem culpam vel corporis afflictionia decernenda est, quae cum olim teste Carpzouio ^{b)} et Bergero ^{c)} fustigationem haud excederet, hodie vitra poenam ergastuli annalem vix extendenda est. Ipse quidem non multis abhinc annis poena ergastuli in

C 2

sex

a) Püttmannus Element. Iur. Crim. §. 186.

c) Bergerus Supplement. ad Elect. Jurispr. crim. P. I. p. 5.

b) Carpzouius c. l. n. 110. 113.

sex menses ergastulario, cuius latiori culpa triumuiiri nebulones famosi euaserant, a Iurisconsultis Lipsiensibus imperatae recordor, cui tamen, iterata defensione, substituta est poena carceris sex hebdomadum spatio comprehensa. Sed ultimum supplicium vel ob desidiam flagitiosissimam et rei publicae perniciosissimam, etiam talis sit, quae proxime ad dolum videatur accedere, nunquam probauerim, cum ne latissima quidem culpa in delictis dolo aquiparari debeat, quidquid in contrariam partem adstruit Leyserus^{d)}, quandoque proclivis ad nimiam severitatem. Hoc expeditum est, etiam a culpa immunem censendum esse custodem eumque recte de casu fortuito exciperre, quoties aut justo metu percussis violentiae cedere coactus, aut tam astutis atque insolitis machinationibus circumventus est, quas praeuidere et praecauere ne sagacissimus quidem valeret^{e)}.

Praeterea vix dubium est praepositos carcerum non solum ex suo delicto, verum etiam ex delictis ministrorum suorum, quos ipsi sibi ad assistendum in custodia adscierunt; conueniri posse; Eorum enim culpam, vt Cicero ait, ipse praestare debet, cuius est eligere fidos, obseruare suspectos, coercere corruptos.

§. 7.

Poena extraneorum carcera violentantium.

Satis de custodum suppliciis. Sequitur nunc ut exploremus justum modum animaduersionis publicae in extraneos, liberatione

d) Leyserus c. l. Med. 8.

e) Leyserus c. l. Med. II. Boehmerus c. l. §. 3.

berationem reorum e vinculis promouentes. Et in hac quidem specie potissimum inspicienda est ratio, qua iusta liberatio in effectum deducta fuit, vine id impetratum, an callidis moliminiibus decepta custodum vigilantia^{a)}. Ipsa vero vis, quae in tali facinore interuenire potest, duplicitis generis esse intelligitur, aut simplex, aut ea, quae conjunctas habet publicas turbas, ob quas in tumultus, aut fractae pacis publicae crimen degenerat. Haec posterior toties existit, quoties effractio suscepta est palam, coadunatis hominibus, aut adeo ab armata multitudine eum in finem conflata, ut carceribus inclusos eximendo, abducendo, vel hoc efficiendo, ut inter exortas turbas^{b)} ipsi sibi fuga consulere valerent, magistratum auctoritas ausu aperto elusa est. Quae temeritas cum sine strepitu et sine actuali conglomeratione facinorosorum esse non possit, ad quorum conatus repellendos ordinaria praesidia non sufficient suaque natura coniunctam habeat obsequii denegationem vel in magistratus, vel in ipsum adeo caput reipublicae, ad principia de seditione et pace fracta reuocanda in auctoribus gladium vl-

C 3 torem

a) Hoc discrimen etiam fundamen-
tum loco posuit sapientissimus Ro-
ssorum legislator in stabilienda
hujus delicti poena, omnem coer-
cionem corporis feueriorem restrin-
gens ad liberationem reorum violen-
tam, fanciens praeterea, ut, quoties
occultis et astutis moliminiibus ad
finem improbum consequendum vi-
fuerint fugae auxiliatores, in poena
carceris subsistatur, quae sex men-
ses hand excedat: cfr. das Preussi-

sche Gesetzbuch T. II. Tit. 20. §.
160^b 161. Klein in den Grundsatzen
des gemeinen Deutschen und Preussi-
schen Penl. Rechts. §. 519.

b) Summo jure pro igne pericu-
loso habetur incendium eo consilio
factum, ut inclusis in vinculis inter
strepitus publicos commodus fugae
exitus pateret, quod ad stipulante
Theodorico in Colleg. Crim. cap. 7.
Aph. 8. n. 11. notauit Boehmerus
ad C. C. C. Art. 125. §. 3.

torem habet^{c)}, in reliquis, qui viam ab aliis calcatam inierunt, seque a torrente quasi abripi passi sunt, extraordinariae poenae locum facit, majori vel minori, prout plus minusve singuli contulerint ad improbum consilium exsequendum, nunquam non corporis adficiuae grauiori in illis, qui publicis locis vel personis improbas manus reapse admouisse conuicti fuerint. Atque in hoc genere silentio mihi plane non praetereundus est locus Iuris Prouincialis Saxonici^{d)}, quem I. H. Boehmerus de commentariensi puerse interpretatus est^{e)}, poenam talionis confirmans in eo, qui criminis accusatum vi abduxit atque eripuit, modo deprehensus fuerit in ipso facinore. Quam sanguinem siue de ipsa carcerum invasione violenta, siue, quod mihi magis probabile videtur, de temeritate eorum intellecteris, qui accusatum et in jus vocatum coram tribunal palam judici seditione eripiunt, sifit exemplum severitatis majorum nostrorum in violatores violentos publicae custodie. Cujus prisci moris etsi hodiernis temporibus ne umbra quidem superstet, talionis usu diu profligato, omnino tamen in lege Saxonica aeuio nostri, quae tumultus coercet^{f)}, carcerum effraetio inter eos actus majoris violentiae recensetur, quibus legislator in

eo

c) Carpzouius c. l. qu. 35. n. 39.
Heils Proc. Inquis. cap. 6. §. 60.
Stryckii Vs. mod. Pand. Tit. de Effract. §. 8. Kressius atque Boehmerus cc. ll. §. 4. Kochius c. l. §. 619.
Grolmann c. l. §. 488.

d) I. P. S. Lib. III. Art. 9. Verba haec sunt: *Welcher Mann auch einen beklagten Mann umb Ungericht*

dem Gericht gewetzlichen entfuhrte,
wird er gefangen mit Gerüffte, er
soll gleiche Pein jenem leiden.

e) I. H. Boehmerus Introd. in
Ius Digest. Tit. de Effract. §. 4.

f) Chursächsisches Mandat wider
das Tumultuiren im Lande, v. 18.
Jan. 1791. §. 15.

eo qui fax et tuba fuit, capitalem, in sociis poenam fortalitii vel ergastuli in plures annos comminatur.

Prorsus alia est ratio ejus violentiae, quae nec palam, nec a multitudine concitata suscipitur neque adeo coniunctam habet seditionem, sed ausu nefario ejusmodi absoluitur, qui singularis, in primis custodibus periculosus fuit, arma ciuilia non infert. In hoc genere solus violentiae gradus spectandus, et tam pro periculi inde emergentis amplitudine, quam pro ipsius damni dati grauitate poena ergastuli vel operis publici in maleficiatos animaduerendum, ultimo quidem suppicio, praeter vim atrociorum talem, qua renitentium vita vel corporis incomititas in discrimen venit, excluso^{g)}. In vniuersum autem, recte animaduerente Boehmero^{h)}, quotiescumque de violentia adhibita constat, neque delicti, cuius reus est is, qui ab arresto liberatur, habenda est ratio neque magis interest, vtrum is condemnatus, an vero tantummodo grauatus fuerit indiciis, cum neutrum violentiae, quae hic sola spectanda est, aliquid addat vel detrahatur.

Huc usque de periculosa carceris violatione. Ali quanto melioris conditionis habentur, qui sine vi aliqua vinculum hominem ex mala mansione exemerunt; Tales sunt, qui funes scalasue admouerunt, de quibus se clanculum demitteret, aut ipsi subministrarunt instrumenta, quorum ope claustra effringi vinculaque incidi possent, aut vestimenta ad obuelandum idonea, aut pecuniam, qua custodes corrumperet, ipsi praebuerunt,

g) Carpzou. c. l. Boehmerus ad *Grundsatze der Criminal Rechtswissenschaft*. C. C. C. cit. Art. 4. Grolmann §. 478.
h) Boehmerus, c. l.

runt, aut alia callida atque dolosa machinatione modum fugae suggesterunt, quibus proxime juncti sunt etiam illi, qui aufugientem exceperunt atque occultarunt. In his culpa et poena variat tum pro ipsorum consilio et causa impellente majore vel minore venia digna, tum pro laesa existimatione judicis, cuius jurisdictio turbata est, tum pro conditione delicti a fugitivo commissi, tum pro gradu probationis et indiciorum, denique pro damno ex fuga dato et grauitate periculi in publicam salutem ex liberatione maleferiati hominis resultante. In iis, qui jam conuictos damnatosque custodiae publicae suffurantur, qui famosos latrones, incendiarios, proditores rei publicae, perpetuis vinculis aut extremo suppicio fraudulenter eripiunt, qui ob lucrum flagitiosum aut sceleris societatem id faciunt, erga stulti poenae locus est plurium annorum; Mitius tractandi illi, qui adducti intempestiu[m] misericordia reo delicti magis excusabilis aut incarcerated ob debitum ciuile auxiliatores fugae extiterunt, in quos ultra carceris vel pecuniariam poenam vix statuendum est. Praeterea neque eos, qui instigatione atque hortatu ad liberationem reorum injustam accesserunt, quippe societate quadam morali proxime junctos illis, qui ipsorum consiliis instructi delictum actu reali sunt exsequuti, vindictam publicam effugere par est, acerbiore coercitione reseruata iis, qui aufugientibus arma praebuerunt, ob periculosae euasionis in quam veniunt societatem.

§. 8.

§. 8.

Causae poenam exasperantes et mitigantes.

Temperant poenam, siue ponamus capitalem, siue arbitriam, tam in carcerum custode, quam in extraneo, quotquot proteruiæ et doli mali argumenta cessant, quo facit in primis misericordia, quae, licet intempestiuæ^{a)}, tamen in se honesta, modo non affectata, sed cui probabilis causa est aut aerumnosa incarcerati conditio, aut innocentiae persuasio, reatum excludit, quo sublati coercioni criminali nonnihil decrescit. Nulla vero ratio ad flectendos judicium animos aptior, quam nexus cognationis et amicitiae inter liberatum et fugae auxiliatorem intercedens^{b)} quam excusationem etiam jura Romana in receptatorum criminе, valde simili huic nostro, diserte agnoverunt^{c)}. Neque tamen hanc mitigationem ad socios extraeos transferre, quibus nihil succurrit, quod peccandi intentionem minuit, juris ratio patitur, praeterquam quod etiam his, quoties precibus pellecli, non pretio corrupti operas adjudicrices praefiterint, parumper indulgeri debeat. Contra turpitudinem facti augetur mirifice in omni carceris violatione, si

quaestus

a) De intempestiuæ misericordia exposuit Io. Fr. Rhetius Frf. 1660. In Diss. Vol. I. n. 2.

b) Notum est gratiosum pietatis exemplum, quod præbuit vxor Hugonis Grotii Maria de Regelsberg erga maritum in arce Loewensteinensi captiuum, quo cistæ incluso

librorum exportandorum prætextu emisso mutatis vestibus ipsa remansit. Impunem hanc dimisere Ordines Batauiae et profecto amoris conjugalis reuerentia vetuit vel levissimam coercionem ipsi irrogare.

c) l. 2. D. de Receptat.

D

quaestus causa salus publica venalis fuerit habita, maxime in custode pretio conducto, quo in casu ad instar aliorum delictorum, in quibus pecunia interuenit^{d)} sola conuentio et promissio augmentum poenae secum fert, licet actualis commodi perceptio defecerit et hac ratione euentus intentioni non per omnia responderit.

§. 9.

Quid in reum aufugientem e vinculis jure nostro sit statuendum.

Succedit ultimum caput, celebre doctorum dissensionibus, conditionem ipsius rei custodiam judicialem suo consilio euadentis concernens, de cuius animaduersione vel impunitate quid solida ratio ferat, jam paulo accuratius inuestigandum est. Et quidem parum absuit, quin juris peregrini seueritas in usum retrucaretur ab antiquioribus interpretibus iis, qui obtenuit elusionis disciplinae publicae, omnem ausum fugae tanti aestimarent, ut in leuioribus delictis poenam exasperandam ad relegationem usque, in grauioribus vero propter ipsum crimen effractionis accedens ad ultimum supplicium extendendam suaderent^{a)}. Procul dubio his, defensio nem propriae salutis et libertatis amorem omnibus ingenitum tam acerbe excipientibus, ne in mentem quidem venit, quod nostrae aetatis

prae-

d) Abr. Kaestnerus de pecuniae efficacia. Inter ejus Progr. Lips. 1736. junctim edita n. 15.

a) Leyserus ad Pand. Spec.

DLXIV. Med. I. Menkenius Syr. Iur. Ciu. Tit. de Effract. §. 3. Schilterus Prax. Iur. Rom. Exercit. XLIX. th. 43.

praeclare monuerunt philosophi ^{b)}), quo grauius sit delictum, eo majori venia dignum censendum esse omnem euasionis conatum, quidquid autem sugae machinatio doli habeat, id omne poenae metu absorberi. Ne igitur poena sine crimine esset, rectius judicarunt alii, nec exasperationi poenae in fontibus locum esse concedendum neque magis in insontes animadvertisendum, quavis opportunitate oblata se in libertatem vindicantes ^{c)}. Nonnulli quidem sagaciores, discrimine inducto inter carceres ad custodiam et eos, qui poenae causa decernuntur, proclives ad ignoscendum iis, qui ob metum instantis supplicii se proripiunt in libertatem, aliis, poenae nomine damnatis in vincula, euasione tentata, negant impunitatem ^{d)}; Me vero horum rationes parum mouent, nam squalor carceris utrisque est idem, eadem vinculorum molestia, ideo que eadem liberationis experiundae excusatio. Quae vero communiter obtenditur rei ad poenam subeundam obligatio, pertinet ad iustitiam poenarum a facinorosis sumendarum potestati criminali vindicandam, hanc vim non habet, vt quis poenae sibi imperatae sponte se offerre et quae propitia adfert fortuna ejusdem effugienda negligere debeat remedia. Ut potius exuere et ejurare omnem humanitatem videantur, qui ne aper-

D 2

to

b) Seruin de la legislation criminelle, Ch. 4. Art. 3. §. 6. Gmelin
Grundsätze der Gesetzgebung über Verbrechen und Strafen. §. 65.

c) Boehmerus ad Carpzouium

Qu. CXL. Obs. 10. et ad C. C. C.
Art. 180. §. 5.

d) *Quiskorp in den Grundsätzen des Peinlichen Rechts. Tb. I. §. 194.*
und in den Entwurf zum Gesetzbuch.

§. 109.

to quidem carceris ostio reum impune exire perhibent. Neque magis mihi probatur corporis castigatio ex fori vnu in eos statui solita, qui fugam machinantur, aut reapse exsequuntur, nam et illa species est poenae eoque magis periculi plena, quo frequentius, quidquid prospiciant judices, arbitrio eorum regitur supplicii administratio, quorum negligentia euadendi occasio enata fuit, haud raro abitura in vindictam fraudatae custodiae. Satis noxae in eo est, quod, naturali ratione postulante, reus fugitiuus, quoties deprehensus et carceribus remancipatus fuerit, arctioribus vinculis constringatur ad praescindendam omnem occasionem fugam denuo experiundi.

Adstruens autem impunitatem ejus, qui carceres, in quibus poenae causa contineretur, fugas ausu violauit, id quidem de carcere diurno et molesto volo intelligi, contra eum vix a dolo absoluere, qui in breve aliquod tempus libertatis vnu poenae nomine interdictus, vel maxime opportuna occasione oblata, custodiam judicialem fecellit. Et tali quidem in casu non iniquum mihi videtur per duplum temporis ejus detineri eum in vinculis, quod in libertate injusta fuit absolutum. Praeterea, quanta quanta sit apud me reorum, qui metu corporalis vel capitalis supplicii liberationem e carceribus anxie aucupantur, excusatio, tamen alienissimus sum ab ea persuasione, fugae auctorem in nullo peccare, qualicunque demum ad finem suum obtainendum vnu fuerit, medio. In quo genere, si quid video, certe mihi deserendus est Boehmerus, vel ipsam violentiae euasionis impunitatem propugnaturus ^{e)}. Vis enim

præter

e) Boehmerus ad C. C. C. Art. 180. §. 5.

praeter casum extraordinarium, quem hic non suppono, per se culpabilis est poenaeque obnoxia. Hoc lubentissime largior, imminente poena mortis ne ob periculosam quidem eruptio-
nem supplicii exasperationem admittendam esse. Quid enim
non vincit miserabile studium redimendi sanguinem suum?
Nec de eo casu dispuo, si post fugam alia facinora, furta, cae-
des, rapinae, incendia perpetrata fuerunt, quorum poenam
auctor luit summo jure. Sed ab his si discesseris, omnem eru-
ptionem violentam, veluti si custodes male fauciati, claustra
refracta, muri perforati fuerint, aut formido violentiae ex armo-
rum gestatione resultet, quae omnia absque salutis publicae
graui periculo esse non posunt, pro causae qualitate seuere
coercendam esse contendō.

Quibus principiis superstrūtis facile supersedere possumus judicio de discessu, quem pronunciant, impuni, ob de-
fectum sufficientium indiciorum, ordinem juris non seruatum
a judge, potentiam inimicorum vel falsorum testimoniū, injustae
sententiae metum, incompetentiā judicis, manifestatum ani-
mum reuertendi, incuriam custodum, periculum incendii, in-
ediae et reliquis excusationibus, quas larga manu exhibit in-
terpretes^{f).}

D 3

Hoc

f) Theodorici Coll. crim. c. 4. Stryckii Vs. mod. Pand. Tit. de Ef-
Aph. II. n. 8. Doepleri Theatr. fraſt. §. 3. Boehmeri Medit. ad C. G.
Poen. T. I. cap. 10. §. 71. seqq. G. Art. 180. §. 5. Art. 25. §. 6.

Hoc quæstum memini, an reus carcères evasurus, si alia ratione contineri nequeat, a custode superueniente occidi impune possit, quod etsi in reo leuioris delicti extra casum violencie ipsi custodi intentatae nemo adfirmabit, tamen licebit tunc, cum quis capitalis delicti causa in vinculis detinetur, cuius eruptioni, reipublicae admodum calamitosae, custodes ita relucari oportet, vt vel internecio ejus legitimam habeat excusationem.

Idem defientis dolii mali argumentum supra inductum ad tuendam impunitatem eorum, qui libertatis consequendae causa fraudulent judiciale custodiam, eo valet, vt ne augeri quidem delicti imputati suspiciones fugae ausu firmiter milii persuadeam. Non statim quisquis fugit criminis conscientia fugere præsumendus; Fugiunt namque non solum nocentes, sed etiam innocentes, memores, iniquissimam esse conditionem rei, causam e carcere dicentis, contra omnem defensionem libertatis vsu mirifice adjuvari. Quae cum ita sint, vix temere adfirmauerim omnem humanitatis sensum ejurasse eos, qui olim, fugae e carcere vim indicii proximi adscribentes, suspectos equuleo subjicere, torturae jam decretæ gradum augere non dubitarent^{g)}. Sanctio vero Carolinae^{h)}, ab iisdem pessime in suas partes detorta, omnino non proferenda est ad evasionem eorum, qui jam in vinculis continentur, cum vnicē dirigatur in illos

g) Zangerus de Torturis et Syst. Iur. Ciuit. Tit. de Effract. Quæst. cap. II. n. 88. seqq. Leyferus Spec. 564. Med. I. Menkenius h) C. C. C. Art. 25.

aliam
im-
len-
ebit
ujus
re-
xcu-
ad
ndae
geri
per-
uge-
sed
rei,
erta-
dfir-
lim,
quu-
ubi-
suas
eo-
r in
illos
fract.

illos, qui, constituti in libertate, exorto rumore delicti committi, dum auctor ignoratur, malefactorum conscientia agitatio continuo secedunt, quo respectu se ipsos accusare merito dicuntur^{1).}

§. 10.

De iudicio ciuili in carcerum violatores ex damno per fugant reorum dato.

Satis de criminali in carcerum violatores iudicio. Coronidis loco intueri placet obligationem eorum, quorum fraude et negligentia accidit, ut aliquis, siue ob delictum, siue ob civile debitum, custodiae publicae mancipatus, in libertatem se proriperet, circa damni eius fuga dati reparationem. Id quantum partim impensas judiciales in fugitiui persecutionem, capturam et transiissionem erogandas concernit, quales sunt sequelae judicialis, litterarum requisitorialum, arrestatoriarum et citationis publicae, partim ex nouis post injustam vinculorum solutionem admissis maleficiis, v. c. ex corporis violatione aut expilatione aliorum, resultat, constat inter omnes; deficien- tibus bonis auctoris in subsidium grauari eum, cuius adjumento vel incuria vinculis exemptus fuit delinqiens²⁾, plurimum socio-

rum

1) Nov. LIII. cap. 4.

2) Engau Element. Iur. Crim.

Sect.

rum, qui est modus atque ratio legis Aquiliae, indiuisam esse obligationem. Namque in hoc genere manifestum est, custodia salua, damnum haud exstitisse nec illis expensis opus fuisse. Longe aliam rationem intuitu satisfactionis civilis ex delictis fugam antecedentibus descendenter, pariter ac earum obligationum, quibus extra reatum sese intricauerat fugiens, conflati aeris alieni aliorumque debitorum mere ciuilium, deprehendere mihi videor. Etsi enim plures obligationem ex hoc delicto tam late patere prohibeant, ut qualemcunque damni reparationem comprehendat, quam assertionem praejudicio firmauit Hoffmannus^{b)}, mihi tamen, uti horum argumenta non sufficiunt, ita nec ea, quae Leyserus in hanc rem disputauit^{c)}, calculo meo comprobare possum. Potius in hoc posteriori genere vela arctius contrahenda nec amplius obligari carcerum violatores existimo, quam quatenus spe indemnitas ante fugam integra, per euasionem rei demum frustrata, damnum ex maleficio reapse enatum intelligatur. Cujus rei probationem relin-

quen-

Sect. I. §. 551. Mylius ad Peyeri
Delin. Iur. Crim. Art. 180. Pol. 4.
Koch Inst. Iur. Crim. §. 617. West-
phal im Cr. R. Anmerk. 108. §. 6.

b) Io. Guil. Hoffmannus Obser-
vationum, quae ad ysum fori Spe-

stant, fasciculus. Francof. ad Viadr.
1736. Obs. 23.

c) Leyserus in Corol. ad Spec.
DLXIV. Medit. ad Pandect.

quendam esse iis qui agunt eaque deficiente nec quidquam deberi, plane mihi persuasum est^{d)}. Speciatim quod eos concer-
nit, qui custoditum ob debitum ciuale vi astue liberarunt, sunt
qui Leysero^{e)} praecipiente, qui nullum opinionis suae argu-
mentum adtulit, hos ita obstrictos esse velint creditoribus, ut
omne aes alienum fugitiui soluant atque ipsos perinde obligari,
ac si pro eo fidejussissent, quid quod eo usque procedunt, ut
non attendi velint, incarceratus verus debitor fuerit nec ne,
neque magis facultatem probandi relinquere, egressum non
fuisse verum debitorem, hoc amplius, non liberari effractores,
sed adhuc teneri, licet debitor libertatem nactus rursus fuerit
deprehensus, quem rigorem iam temperauit Stryckius^{f)}. At
ego horum obligationem plane iisdem cancellis circumscriben-
dam puto, quos modo posui, ino coarctandam magis, quippe
quam ea debita, pro quibus fugiens carceribus inclusus erat,
excedere vix patiar, reliquis, qui arrestum personale reapse
haud impetrarunt, creditoribus, et si debitoris fuga spe indemnii

tatis

d) Plane eandem sententiam fo-
vent Westphal in dem *Criminal Rechte*,
Anmerk. 108. §. 5. nec non Crift.
*Vlr. Del. von Eggars in den Bemer-
kungen zur Verbesserung der deut-
schen Gesetzgebung.* Kopenhagen
1798. Th. I. §. 383.

e) Leyserus c. l. Antiquiorum in-
terpretum sententias varias legere
est apud Doeplerum c. l. Cap. V.
§. 30.

f) Stryckius Vs. mod. Pand. Tit.
de Effraet. §. 6.

D

tatis consequendae aequa fuerint dejecti, nihil agentibus. Manifestae tamen aequitatis et juris rationes suadent succurrere iis, qui de debitore e vinculis haud dimittendo interposita protestatione jam antehac sibi prospexerant, causa ipsorum aequali ratione ac principalium creditorum expedita. Caeterum vix est quod moneam, vel ipsos magistratus ob carcera male custoditos ab hac subsidiaria conuentione eorum, quorum interfuit custodiari seruari, non immunes censendos esse.

Nobi-



Ma-
rere
pro-
quali
n vix
cu-
nter-
poni
tum
egi
1
Vob:
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-225700344-15

Nobilissimo ornatissimoque Defensori

S. P. D.

Praefatio

Quod me potissimum dignum judicaueris, Doctissime Meistrere,
quo comite prodires in publicum et cui Te in hujus libelli defensione
socium adjungeres, id quidem eo majorem mibi adfert laetitiam,
quo magis Te propter ingenii excellentiam, adsiduitatem in studio
litterarum et morum probitatem atque elegantiam plane singula-
rem, carum dilectionemque habeo. Neque vero animus est, commis-
moratione laudum Tuarum in his codicillis defungi, quibus nihil
aliud volo efficere, quam ut palam testificer, mihi Tuo nomine esse
hunc diem Tuum valde optabilem, quo rationes vitae, institutionis,
adsiduitatis Tuae in discendis juris scientiae et litterarum partibus
collocatae, omnibus qui auditores publici colloquii adfuturi sunt,
sciam atque confidam Te probaturum esse. Illustri etiam Parenti

Tuo,



Tuo, Viro Summo et de republica meritissimo, gratulor filium, de
quo spes enascitur certissima fore, ut aliquando gentis suae decus sit
euasurus atque ornamentum. Te vero, Optime Meisnere, quam
amicitiam instituisti mecum et hujus libelli societate arctius contra-
xiisti, rogo ut constanter serues, Tibique perjuadeas, non levem
fuanitatem e Tua felicitate constanti ad me peruenturam esse.

Scribeb. in Vniuers. litter. Lipsiensi a. d. V. M. Nou. A. C.
MDCCIC.

VDI8

ULB Halle
004 996 720

3



56.



DE

1798, 9.

CRIMINE VIOLATI CARCERIS

DISSERTATIO

Q V A M

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E



BREHM

PROVINCIALIS ATQUE
MORALIS ADVOCATO

CJIC

MEISNER

A